

05
A
1342





J. J.
DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM

Exercitatio II.

De

COELO,

Quam

DEO JUVANTE

Sub Præsidio

M. HIERONIMI VV EIXELBERGERI

VV ellensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.

Philosophicæ in Electorali V Vitteb.

Academia Adjuncti,

Ventilandam exhibet

ANDREAS Bergeman Juterboc. Saxo.

Ad diem 11. Januar.

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XVII.

3
2



*Viros Reverendos, Prestantissimos &
Humanissimos,*

DIL.

THOMAM VVERCKNERUM

Juterboci ad D. Virg. & Minoritarum Pasto-
rem dignissimum.

Dn. M. MARTINUM Am Ende Pastorem
in Ohne solertissimum.

Dn. M. MARTINUM HOFFMANNUM
in pago Zinna &c. animarum Cura-
torem fidelissimum.

Dn. THOBIAM NIGRINUM Capituli
Episcopalis Brandenburgici Diaconum.

Dn. JOHANNEM GELNITIUM in pago
Heinßdorff itidem Pastorem.

*Dnn. Fautores suos singulos & universos
studiosè colendos*

Hac segravoza Dia.

strenue loco donat

Andreas Bergeman Juterb.
Auctor. Respondens.



Σωὶ Θεῶ

CONTINUATIO.

MUndi hujus theatrum amplissimum, proximâ Collatione, faustis sumus ingressi auspicijs. Quiescamus itaq; paulisper & penitus illa quæ supra infra & circum nos, introspeciamus.

Salve itaq; & iterũ salve, ô augustissima COELI machina, salvete Sol & Luna, & vos stellarũ myriades, salvete. O Cœlum, tuam jam rimabimur sublimitatem, ut conditoris tui miremur bonitatem; tuam speculabimur magnitudinem, ut ad opificis tui, accingamur gratitudinem. Largire igitur, ô BONE DEUS, tuam nobis gratiam, ut verum amplectamur, falsum repudiemus, per & propter Dominum IESUM CHRISTUM, URANIÆ REGEM, benedictum & gloriosum in secula, Amen.

QUÆSTIO I.

Quid sit cœlum?

Cœlum apud diversos auctores diversimodè sumitur. Thomas p. 1. q. 68. art. 4. dicit, quòd vox cœli accipiatur, 1. proprie & naturaliter. Et secundum hoc tres (sunt verba Thomæ) sunt cœli. 1. Cœlum stellatum totaliter lucidum, quòd vocant Empyreum. 2. Totaliter

A 2

dia-



diaphanum, quod vocant cœlum aqueum & ChrySTALLINUM. 3^o
Partim diaphanum & partim lucidum actu quod vocant sidereum, &c.
II. Per participationem, III. Metaphoricè. Rabanus 7. cœlos finxit, de
quo Thomas in 2. dist. 14. q. 4. Alij triplex cœlum statuunt: 1. regio-
nem aeris. 2. Cœlum stellatum. 3. Cœlum beatorum vel empyreum.
Timpl. l. 1. Apsychol. c. 3. probl. 1. Zanchius p. 1. de operibus 6. dierum l. 1. c.
4. p. 63. Sed hos multipliciter impingere progressus edocebit. Ari-
stoteli vero (Philosophicè dicendo) cœlum, 1. primum mobile. 2. O-
mnes sphaeras contiguas. 3. Totum mundum significat, l. 1. de cœlo c. 9.
§. 96. juxta explicationem Iohan. Velcurionis l. 2. com. Phys. c. 2. pag.
147. & 148. Codex facer sequentes cœli significationes mon-
strat. Quòd accipiatur; I. Pro aqua illa mole, quâ terra circum-
fusa fuit Gen. 1. §. 8. II. Pro firmamento in quo sunt astra. Gen. 15. §. 17.
III. Pro aere superiore Ps. 8. §. 9. & 147. §. 26. IV. Pro sede Dei & quo-
libet loco sacro, ut & Ecclesia Psalm. 2. §. 4. & 89. §. 3. Ps. 68. §. 34. V.
Zuwendungs pro tota hac rerum universitate Psalm. 33. §. 6. Confer
Reverendum D. Meisnerum Sobria Philosoph. pag. 1. s. 3. c. 4. q. 1. pag. 307.
Hac igitur amphiboliâ resecatâ monemus, quòd de cœlo in ge-
nuino suo sensu accepto, sc. pro eo, in quo Sol, Luna & reliqua astra
collocantur, verba facturi simus. Cujus seutiâ investigaturi, dif-
ficultatem quidem non leviculam sentimus, ut hic quoq; videam-
us, quàm parum nostri constet acies ingenij ad naturæ arcana
scrutanda, Ex Scalig. exerc. 307. s. 17. veruntamen, cum ejus tanta
præstantia atq; nobilitas sit, ut vel rudis & imperfecta ipsius co-
gnitio experibilius sit, quam exquisita & perfecta aliarum rerum
ignobiliorum, testimonio Zabari. 1. de nat. cœli c. 1. etiam in hac nos
exerceamus, nè præmittamus quod ad pleniorē sese offert
contemplationem, jussu Scaligeri de plantis pagin. 17. Est verò
cœlum corpus naturale simplicissimum, solidum, Sphericum, pellucidum
& mobile in orbem. Aristotel. passim in libris de cœlo; Et ex eo Magirus lib.
2. Phys. cap. 2. thes. 6. pag. m. 120. Eadem descriptione utitur
Valerius Phys. instit. cap. 9. thes. 2. Paucis definitiva nostra oratio est
declaranda & corroboranda. Itaque corpus cœlum esse vel ex eo
constat, quòd sit latum & profundum; cui testimonium
Aristotel. accedit, qui illud aliquoties corpus nominat lib. 2. de
cœlo

cælo §. 17. Præterea naturale corpus esse quis irret inficias? Habet enim principium motus localis in se ipso. *Arist. 2. de cælo c. 2. & l. 1. de cælo §. 1. usq; ad 17. ut & l. 3. ejusdem §. 1.* Quod verò additur simplicissimum, non ita accipiendum ac si cælum omnis compositionis expertus esset. Non enim simplex opponitur hoc loco ei, quod est compositum, sed τὸ μικτὸν. Ne cramben bis coctam apponamus soliditatem cæli ad 4. quaestionem remitemus.

Porro figuram sphericam cælum habere necesse est, quia cum cælum sit corpus primum, habito simplicitatis & perfectionis respectu, idè ipsi prima debetur figura *Aristotel. 2. de cælo c. 4. §. 22.* Insuper & aspectus motus stellarum hoc confirmat. Hæ enim ab Horizonte magis magisque attolluntur, & vicissim per meridianum ad Horizontem oppositum scil. vespertinum vergunt. Silentio prætereo jam stellas polo vicinas, quæ suo motu exactum circulum describunt: Quin & stellæ semper invariatas, quo ad distantiam visui nostro sese offerunt. Quod secundum rectam lineam fieri minimè posset. Ibi enim corpus in loco remotiore constitutum minus, in propinquiore verò majus apparet. *Consule Philipp. Melanth. l. 1. Phys. p. m. 61.* Adde hac in parte consentientes Scripturas. *Eccles. 24 §. 8. Pellucidum esse optidorum rationes evincunt.* Statuimus deniq; cælum in orbem mobile, quia is motus cælo maximè est naturalis, quando semper æqualis à centro ad circumferentiam retinetur distantia *Arist. 2. de cælo c. 1. Et solus perfectus Arist. 8. Phys. c. 4 & 1. de cælo. c. 2. Solusq; regularis, idem 8. Phys. c. 3.* Verùm in hac quaestione ulterius explicandâ non immoramur, quin ad secundam quaestionem accessum facimus, quæ talis.

QUÆSTIO II.

An Cælum habeat materiam?

Religio quosdam incessit, ut apponentibus cælo materiam non assentirentur *Scal. ex. 61.* In quorum album *Iadunum* refert.

A 3

Is

Javellus l. 8. Metaph. q. 12. Suarez Zimaram & Durandum t. 1. Metaph. diff. 13. f. 10. l. B. Nos verò ductum divini Præceptoris 1. de cælo, c. 9. §. 95. secuti, cælum materia constare asserimus, idq; probamus Aegidij argumento, quod desumpsit totum ex Aristotele, uti patet, à nobili Zabarella l. de N. C. c. 2. col. 272. recitato.

Omne individuum sensibile & per se existens ex materia & forma constat
Cælum est individuum sensibile

E. Cælum materia & forma constat.

Majorem probat Arist. 1. de cælo §. 92. τὸ αἰθέριον ἀπὸν ἐν τῇ ὕλῃ ὡς ἦρχεν.

Minor etiam confirmatur ibidem ἴσιν ὁ ἔργον αἰθέρος. Et d. l. §. 95. ὁ ἴσιν ἔργον ἐστὶ μὲν τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἐκ τῆς ὕλης, &c. Hoc argumentum Zabara l. de N. C. c. 5. conatur infringere, sed quam irrito conatu vel ex quaestionis insequentis tractatione perspicuum evadet. II. Cæli materiam ostendunt accidentia eandem concomitantia, A materia enim proveniunt proprietates materiae substantialis, Suarez. T. 2. Col. 335. Et, materia & quantitas sese habent inseparabiliter & reciprocè, Idem. disput. 13. sect. eadem. In cælo autem deprehendimus quantitatem, mobilitatem, raritatem, densitatem, &c. Joh. Magirus l. 2. c. 2. th. 10. & 11. Quod argumentum opponimus Zabarella qui in contrarium ita argumentatur: l. de N. C. c. 3. col. 273.

Ubi nulla est substantiae mutatio, ibi nullam materiam agnoscere possumus.
In cælo nulla est substantiae mutatio

E. In cælo nullam materiam agnoscere possumus.

Respondeo negando majorem, quod sit ἀπὸ λῶς vera. Etsi hoc quidem non inficiamur, mutationem substantiae esse indicium materiae & praesertim materiae primae, nulla tamen est sequela. Haec conditio non reperitur in cælo. E. nulla materia ibi adest. Quia dantur plures modi, quorum auxilio ac indicio in materiae cognitionem pervenire queamus, eamque materiam optimè ex quantitate, ut propria materiae affectione alijsq; materiatis demonstramus Jacob. Mart. l. 1. exerc. Metaph. ex. 4. Theor. 3. pag. 147. Legantur Conimbricenses in 1. de cælo. c. 2. q. 5. art. 2. & imprimis art. 3. 2. Non sequitur, intellectus noster non potest assequi, ibi materiam adeste. E. non adest. Intellectus enim noster rerum mensura non est. Verum enim verò cum ea quae perspicua sunt, longa esse non debent ju-

juxta monitum Ciceronis l. 3. de finibus, de his satis. Hinc quaeritur
ulterius.

QUAESTIO III.

*An materia caeli & sublunarium sit
eadem?*

Negativa habet assertores Thomam p. 1. qu. 66. art. 2. in 2. dist. 12. q. 1. Fonseca l. 5. Metaph. c. 3. q. 2. s. 1. Suarez. T. 1. disp. Metaph. c. 13. s. 11. Conimbr. in 1. de caelo. c. 2. q. 6. art. 2. 3. 5. & 6. Nos subscribimus affirmativæ, quæ est antiquissima. Plato enim & omnes Philosophi ante Aristotelem posuerunt omnia corpora esse de natura Elementorum teste Thoma l. modo allegato. Quam sententiam Basilius, August. & plures patrum elegerunt asserente eodem in 2. dist. 14. q. 2.

Cum verò non sufficiat affirmasse, sed & probationum momenta adducenda, nostram sententiam sic accipe assertam.

I. Testimonio sacrarum Scripturarum. In illis enim de quinta illa essentia aliam planè silentium: Quin omnia, quæ sunt in mundo ex una materia creata, imò & cælum restantur. Gen. 1. s. 2. Eccles. 18. s. 1.

II. Quicquid ab alio differt per actum differt.

Nam omnis coarctatio, & omnis determinatio fit à forma: asserente etiam Zabar. de N. C. c. 4. Sed materia ut materia per actum non differt. Nullum enim habet.

E. materia à materia non differt.

III. Illud præterea absurdum hanc sententiam consequitur, quod cum in alijs generibus causarum, una tantum detur prima in singulis, in causa materiali duæ erunt primæ, quod dicendum non est, sed cum unum tantum sit absolute primum movens, & una prima forma & unus ultimus rerum finis, unam quoque materiam primam esse, dicendum est. Hæc Zabar. l. d. in refut. opinionis Thomæ, in fine. Cui assentiens Scalig. Ac mihi quidem singula subtilius contemplanti non temerè videntur entia in natura censum invehenda sine manifesta necessitate, ex 61. s. 1. Inferunt alij, quod si statuamus, materiam caeli cum sublunariis esse eandem, tunc simul asseri, cælo privationem & appetitum assignandum; Atq; inde sequi cælum esse corruptibilitati

~~obno-~~

obnoxium, cum tamen expresse apud ipsum Philosophum contrarium defen-
ditur, in aeternis non esse potentiam nisi ad ubi. His respondet Scalig.
ex. 61. s. 1. Non data fuit à naturâ materia ob transmutationem, sed
ad generationem primo & per se, ut ubicunq; sit, ibi etiam sit genera-
tio; Sed ad subsistendam formæ corporeitatis in substantia, & re-
cipiendum quantitatem & figuram, Et post pauca. Hisce de cau-
sis primariâ Dei consilio materia creata est: Secundariâ verò ac-
minus nobili utilitate propter generationem. Non enim verum
est quod ajunt. Quæcunq; communem habent inter se materiam ea inter se
agere & pati mutuo, id quod redactionem scitissimè appellarunt: Sed id eve-
nire ibi, ubi contraria qualitates sunt tantum. Hactenus ille.

Neq; materia cœli æstimanda est ex aliqua nobiliore mate-
ria & forma, sed ex earundem coalitione & unione. Non enim
adeò absurdè statuitur primam materiam communem quidem
esse, cum cœteris elementis, materiam vero secundam ad solam
formam esse restrictam. Propter materiam itaq; secundam sem-
per & necessariò, formam suam appetentem, appetitûq; suo, quem
complacentiæ sive dilectionis vocant, se necessariò & semper
cum suâ forma unientem, fit, quod cœlum neq; generetur, neq;
corrumpatur. Complacentia vero, &c. 1. M. l. 2. ex. 5. th. 11. p. 206.
Deniq; si materia prima non obstat, quin terra in centro, ignis
sub Sphæra Lunæ & rota elementa sarta recta serventur, cur adeò
cœlo maleficium meditaretur. Dn. D. Meisn. p. 1. Seb. Ph. s. 3. q. 2. p. 816.
An enim existimas hæc esse ἀντιστροφά?

Ubicunq; est corruptio ibi est materia.

E. Ubicunq; est materia, ibi est corruptio?

Minimè gentium. Sed sunt tantum ex unâ sui parte conver-
sibilia, adeoq; ἀντιστρέφοντα. Non ergò metuendum nè cœlum
ruat, ideoq; securi affirmativam questionis concludimus.

QUAESTIO IV.

*An Cœlum sit fluidum instar aquæ, an vero
corpus solidum & firmum?*

Astronomi quidam à sententiâ Aristotelicâ divortium faci-
unt: Nos verò sententiam peripateticam posterius quæstionis pro-

proposita membrum asserentem, ut veritati non contrariam,
ita neq; absurdam judicamus. Proinde institutum nostrum se-
quentibus fundamentis munimus.

I. Caelum stellis exornatum dicitur Gen. 1. עֶקֶל, quod L. XX. utrobique, εὐρύ-
ωρα. Latini firmamentum. Lutherus ein Feste reddiderunt, Addatur
Ps. 136, §. 6. Nec præter causam. Dividit enim 1. aquas ab aquis.
2. Neq; tanto seculorum spatio, tantaq; celerrimâ circumgyra-
tione atteritur vel labefactatur.

II. Assumimus illud Iob c. 37, §. 18. Tu forsitan cum eo fabricatus es caelos,
qui solidissimi quasi speculum ex are fusi sunt verba in fonibus sic so-
nant; : תְּרַקִיעַ עֲמֹר לְשִׁחֲקִים מְרִימֵי כְּרָאִי מַצּוֹק

III. Hac ratione etiam omnis regularitas & motus constantia
à caelo ablegaretur; Hinc enim & inde fluctuaret instar aquarum.

IV. Corpora solida, ut sunt stellæ nullatenus recipere & fovere
aprum natum esset. Ad istud regerit Timpl. l. 1. apychol. 6. 3. probl 15.
in responsione ad tertium argumentum, quod aer contineat in se cor-
pora crassa avium, neq; tamen propterea simpliciter negari posse, aerem esse
substantiam subtilis & tenuis, præsertim si cum corporibus avium comparatur.
Respondeo, diversissimam in collatione esse rationem. Aer qui-
dem avium corpora sustentat, sed non ἀπλῶς, verum necesse est,
ut fiat per alas interveniente motu continuo.

QUAESTIO V.

An detur Caelum Empyreum?

Hujus quaestionis affirmativa decisio primos patronos inve-
nit scholasticos. Inspiciatur Thomas in 2. dist. 2. q. 2. m. 1. ubi addit,
quod hoc Caelum Empyreum nullâ ratione investigari possit.
Quia quicquid (verba Thomae) de caelo cognoscimus, hoc est, aut
per visum, aut motum. Caelum autem Empyreum, nec visui sub-
jacet, nec motui, sed per auctoritatem est habitum. Interea ta-
men l. citato asserit illud esse corpus, lucidum, non fluere in hæc
inferiora, &c. Coll. Con. nominat hoc caelum intelligibile, formam
tamen materiam & quantitatem habens, quadratum ad recipien-
da distinctis sedibus corpora 2. de caelo c. 5. quest. 1. Hujus animi
malè dormientis, somnij patrocinium suscipit Cl. Timpl. l. 1. apych.

B

6. 3.

c. 3. probl. 1. Cum ramen similiter quod Thomas modo confessus
sit, idem non diffiteatur. Verum nihilominus audacter sane idem
depingit, ac si illud bene perambulasset & omnia conclavia peni-
tius introspexisset. 1. Quod sit primo die creatum. l. 4. Met. c. 6. probl. 19. 2. supra
omnes caelos aspectabiles collocatum ibid. p. 482. 3. latum & profundum suo ambi-
tu totum terrarum orbem complectens eodem loco probl. 21. 4. Corpus sed im-
materiatum Metaph. 4. c. 6. probl. 20. p. 481. & l. 1. Aplychl. c. 3.
probl. 2. In hoc ipso caelo à phantasia sua excogitato Christum col-
locat sedentem ibi ad dextram Patris, undeq; ad extremum judi-
cium sit descensurus. In hoc ipsum caelum Paulum raptum esse gar-
rit. At, mi Timplere, paucis hæc proba, 1. Unde manifestabis cœ-
lum Empyræum primo die creatum. Dices. 1. Gen. 1. Ita enim
scribis l. 4. Metaph. c. 6. probl. 20. Quia (dicitis) primo die creatio: is immedi-
atè ex nihilo à Deo productum fuit, unà cum materia prima, quemadmo-
dum multi præstantissimi Theologi restantur interpretantes 1. c. 1. Gen. Vbi
per caelum intelligunt caelum supremum; per terram vero metonymicè mate-
riam primam, ex qua terra aliq; corpora naturalia omnia fuerunt à Deo
condita.

Verba, Timplere, audio: quod meum exararet pectus audire:
aveo: at nihil audio. Nam juxta Tibullum;

Non satis est isthoc uno se dicere verbo:

Sed facere, ut quis sentiat & audiat.

Tua probatio est mera principij petitio. Venit enim hoc in
quæstionem, an per caelum ibi intelligatur ædificium illud empy-
ræum. Autoritatibus Theologorum, quos affers, auctoritates
Theologorum opponimus. Nec quæritur quomodo tui Theolo-
gi illud exposuerint, sed an rectè. Et hic proprio tuo gladio te ju-
gulamus. Et enim Aplychl. l. 1. c. 3. probl. 5. inquis; Quando verò caelum
supremum sc. tertium in ordine, empyræum creatum sit, id certo ex sacris lite-
ris desiniri non potest. Ut verò ad dictum Gen. 1. revertamur, assu-
mitur ibi in loquendo materia pro materiato, scil. quæ deinceps
elaborata est, & ex qua reliqua condita. 2. Quomodo per Deum
immortalem constabit caelum Timplerianum, in quo electi post
hanc vitam commorabuntur? Cæli enim confluentes solven-
tur & elementa æstuantia liquecent. 2. Pet. 3. 12. & 13. 3. Nec satis
mirari possumus Timplerum; Videtur enim eximio & singulari præ-
alijs

alijs donatus esse privilegio. Namq; scriptum est, de cælo beatorum quod empyreum esse vult Timplerus; non auris audivit, nec oculis vidit, nec in hominis cor descendit, quæ preparata sunt fidelibus, Es. 64. §. 4. & 1. Cor. 2. §. 9. de quo tamen ipse tam exactè plura fabulatur. Cùm ergo è numero non-Entium sit Timplerianum ædificium, neq; latum neq; profundum erit. Siquidem non-entis nullæ sunt affectiones. Iacob. M. exer. Metaph. 3. th. 2. Multò minus corpus immateriatum erit. At tamen audiamus ejus rationem, Ideò vero esse corpus immateriatum præten- dit, quia primo die ex nihilo est productum, unà cum materia prima sÿst. Metaph. l. 4. c. 6. probl. 20. Resp. modò negatum fuit per cælum ibi posse intelligi tuum figmentum. Posito tamen non concesso, nondum sequetur, quod Timplerus intendit. Pari enim ratione colligere possum, Terra est è nihilo formata. Ea omni materia caret. D. Meis. p. 1. §. 3. 4. art. 2. 3. Est ἀντιθεσις ἐν ἀερώ κενώ, corpus immateriatum. Corpus enim facere sine materia & facere insomnium sine somno. Ita vigilant ij, profectò vigilant & somniant. Scal. ex. 359. §. 11. Pluribus hoc confutatum offendes apud Cl. Dn. Iacob. M. l. 1. de loco à c. 22. usq; ad 30.

QUAESTIO VI.

An Cælum supremum sit in loco?

De propositâ quæstione decisivam affirmantem fert Timplerus in Phys. gen. c. 11. q. 4. cujus rationes paulò inferiùs audiemus. Nos verò negativam tuemur, solo veritatis amore moti, quæ est tùm anima nostratis Philosophiæ, tum Christianæ professionis fundamentum. Scal. ex. 3. Ad eam verò astruendam I. In medium adducimus Aristotelem sic docentem; ὁ δ' ἄεράν, ὡς ἀπερίηται, ἔπερ ὄλη, ἔδ' ἐπὶ τῆς πῶ δ' ἴν. l. 4. Phys. §. 45. II. Oportet id quod in loco propriè est, externâ superficie ambiri & circumscribi 4. Phys. §. 43. sed cælum ultimum nullum corpus continet eod. l. c. 5. Quia nullom corpus extra cælum l. 1. de cælo §. 69. Verùm negat noster Clemens l. supra all. Cælum alio corpore non circumscribi, Cælum, inquit, stellatum, quod primum est corpus naturale supra se cælum supremum, vulgò Beatorum dictum, habet, cujus complexu undiq; comprehenditur. Adeò verum est. effatum sapientiæ Aquilæ; ἐνὸς δοξέντ' ἀρ' π' ἄλλα σμ' αὐτ'. l. Phys. c. 2. §. 10.

B 2.

Nihil

Nihil verò nobis timendum periculi, 7. Cœlum enim Tim-
 plerianum est terminus sine re, sine ratione & veritate, ut utar ver-
 bis. Cl. Jac. Mart. l. 2. de loco c. 21. p. 370. Cujus structuræ destructionem
 exhibuit quæstio V. præcedens 2. Quod si maximè ponatur, cœlū
 Empyræum esse aliquid & esse supremum, nondum tamen seque-
 tur id, quod Timplerus in endit. Nisi enim in infinitum, à quo na-
 tura abhorret, progressus institui debeat, omninò necessarium est,
 ut Timplerus concedat, cœlum illud empyræum non esse in loco.
 Sed ad hoc respondet Timplerus, Cœlum Empyræum non esse corpus natu-
 rale, sed hyperphysicam. Regerimus nos hac ratione illud esse corpus
 incorporeum, id est, σιδηρόζυλον. 3. Haut latet Timplerum, quòd
 à quibusdam suæ sententiæ assertoribus Cœlum Empyræum qua-
 dratum statuaratur, quomodo ergò cœlum sidereum exactè Sphæ-
 ricum circumscribet? Præterea aliam adducit rationem l. 2. Syst.
 Metaph. c. 5. q. 5. Localitas, ait, est ἰδίωμα essentialē omnis creaturæ ideoq; à
 nulla abesse potest. Et per consequens cœlum erit in loco. Respondemus, 1.
 probatione indigere propositionem hanc; de ea enim adhuc sub
 judice lis est. 2. Ad illam ipsam respondet Cl. Dn. D. Meisnerus, quòd
 distinguendum sit inter ipsam locabilitatem & localitatem. Illam qui-
 dem corpori essentialē, ideoq; perpetuam: Hanc verò acciden-
 talem & mutabilem dicit, p. 1. s. 3. q. 2. Quam distinctionem ipse
 etiam Philosophus innuit l. 4. Phys. c. 5. §. 44. ὅτι ἐστὶ ἐλεχθῆναι τὸ μὲν
 εἶναι ἐν τῷ τόπῳ καὶ διώκειν, τὰ δὲ κατ' ἐπίγειαν. Ideoq; omne qui-
 dem corpus aptum natum est, ut circumscribatur, sed non neces-
 se est, ut actu id fiat. Quandoquidem actus secundi sæpiùs à for-
 tiore principio superveniente possunt impediri. 3. Si localitas est
 essentialē quid corporis naturalis tunc est, aut essentialē οὐσιβὴν ἢ ἐν
 aut ἐπιούριον. Sed neutrum. Non prius. Erit enim aut forma aut
 materia. Non forma. Est enim separabilis. Forma autem & materia
 non separantur à re Arist. l. 4. Phys. c. 2. Non materia, quia continet
 Arist. l. 4. §. 18. Non posterius. Essentialē enim consequens non sepa-
 rat Scal. 1. de plantis. Ergò negativæ quæstionis suæ constat veritas.
 Omnia opera Dei laudent Jehovah, & celebrent eum in
 æternum. Cœli laudate Jehovah & celebrate eum
 in seculum. Ps. 148. §. 4. Dan. 3. §. 8. & 9.

F I N I S.

05 A 1342

ULB Halle 3
003 781 259




Sb-TA

UOM







3
2

J. J.
DISCUSSIONUM PHYSICARUM
SPECIALIUM
Exercitatio II.
De
COELO,
Quam
DEO JUVANTE
Sub Præsidio
M. HIERONIMI VV EIXELBERGERI
VVellensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.
Philosophicæ in Electorali V Vitteb.
Academia Adjuncti,
Ventilandam exhibet
ANDREAS Bergeman Juterboch. Saxo.
Ad diem 11. Januar.
VVITTEBERGÆ,
Typis Iohannis Gormanni
ANNO M. DC. XVII.